



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

23. de extrema vnctione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

EPITOME
DE SACRAMENTO EX-
tremæ Vnctionis.

DISTINCT. Vigesimaltertiæ
CAP. Primum.

Triplex est Vnctio.

Præter præmissa est etiã aliud sacramẽ-
tum. s. Vnctio infirmorũ, quæ fit in ex-
tremis, in oleo per episcopum cõsecra-
to. Et sunt tria genera vnctionis. Est enim
vnctio quæ fit chrismate, quæ dicitur prin-
cipalis vnctio: quia in ea principaliter para-
cletus datur. Vnde & propter abundan-
tiam gratiæ duos liquores mistos habet, o-
leum icil. & balsamũ. Chrisma verò græcè,
vnctio Latinè dicitur. Nec tamen omne o-
leum ad vnctionem sanctificatum, chrisma
vocatur: sed illud solum quod miscetur cum
balsamo, quo regum & pontificum capita
inunguntur, quo etiam baptizatos sacer-
dos vngit in vertice, & pontifex per impo-
sitionem manus cõfirmandos vngit in frõ-
te. Est & alia vnctio, qua cathecumeni &
neophyti vnguntur in pectore & inter sca-
pulas in perceptione baptismi. Tertia verò
vnctio est, quæ dicitur oleum infirmorum.
de qua nunc agitur.

CAP. Secundum. Sacramentum Vnctio-
nis ab Apostolis institutum est.

*Materia
sacram. ex-
tremæ Vn-
ctionis.*

*1. p. 2. b. g
ap. 1. p. 1.*

*1.
2.*

3.

Iac. vi.

Ait enim Iacobus: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini, & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis fuerit, dimittentur ei. *In quo ostenditur duplici ex causa sacramentum hoc esse institutum, scilicet ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem, si tamen expedit ut in utroque alleuietur, si expediat. Sacramentum est ipsa unctio exterior: Res sacramenti, unctio interior, quae peccatorum remissione & virtutum ampliacione perficitur. Et si ex contemptu vel negligentia sacramentum hoc praetermittitur, periculosum est & danabile.*

Duplex est effectus huius sacramenti.

CAP. 3. *Hoc sacramentum est iterabile.*

Tamet si sacramentum baptismi, confirmationis, & ordinis, nullatenus sint repetenda: hoc tamen sacramentum, ut sacramentum corporis, poenitentiae, & coniugij, iteratur. *Si enim morbus non potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Sicut oratio iterari potest, ita & unctio iterari posse videtur. utraque enim illic commemorat Iacobus, & utrumque alteri cooperatur ad conferendam alleuiationem corporis & anime, &c.*

DE SACRAMENTO
Ordinis.

DISTINCT. 24. CAP. Primum.